

Sed videtur, inquit: Partem enim & ipse affirmat, oratoriè porrò cuncta exaggerat, locis Comparatorum ludit, & ut, quod res est, dicamus, Cicero molli timidàq; togà circumamictus perorat, illi verò superiores sago, scuto & gladiò armati, pleriq; præliati, præliantes aut certè præliaturi sententias pronunciauerunt, honestissimè casuri, quia animosè pugnaverant.

Quod si ergò, ut concludam, ex locis his quamplurimis clarum evadit, maximè pudendum fuisse ac dolendum, si quis à vili, abjecto ac ignavo superatus caderet: quanto exadverso nobis piis Christianis letandum fuerit & gaudendum, si à Domino cæli atq; terra affligamur, à quo corripitur charitas est, à quo vulnerari sanitas, à quo occidi vita est, cui obloqui temeritas, recalcitrare vanitas, resistere mors est & perpetua perniciēs. Κενοῦμένους ὑπὸ Κυρίου παιδέυεσθαι facit ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακρηθώμεν (I. Cor. XI, 32.) Crediderunt hoc ante Moysen prisci illi Arabes, interprete eorum Eliphazo apud Jobem (c. V, 17): agnovit David cum ingenti fiducia (II. Samuel. XXIV, 14: I. Paral. XXI, 13): suavit Salomo (Proverb. III, 11.) Paullus (Ebraeor. XII, 5.) Johannes (Apocal. III, 19.) & Jacobus (cap. I, 12). O servum illum beatum, (exclamat Tertullian, de Patient. c. II.) cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit! Gratulari & gaudere nos decet dignatione divinæ castigationis.

Series verò Declamatoris nostri Rhetorica conspicua fit ex Progr. CCXLI. Nempe ad Dignitatem sermonis præcipuè faciunt Tropi, de quorum primo & maximo, METAPHORA, dicturus est HENRICUS KRIGER Budissinus, cui sese adjunxit MARTINUS ANDREAS STUBRITIUS, Psalmum XXIII. metaphrasi metricà Latinà & Germanicà à se vestitum recitaturus. Uterque diligentis & industrii est genij, ideoque impensiori favore omnino digni, quem & decenter rogamus.

